11.

EXT-INSPICIUM

IN INCISO CADAVERE

Emi, ac Rmi D. Cardinalis

CAROLI LEOPOLDI CALCAGNINI

Exactiſſimè completum die XXVIII. Auguſti.

INCISORE

EXCELLENTISSIMO DOMINO

VICTORIO MASINI

CHIRURGO PONTIFICIO &c.

ME AUTEM INFRASCRIPTO INSPECTORE,

Quod ob oculos, & perſpicaciſſimam mentis aciem

Emi, ac Rmi D. Cardinalis

CAMILLI PAOLUCCI

IN OBSEQUENTISSIMI ANIMI ARGUMENTUM SUBJICIO.

ROMÆ, MDCCXLVI.
Ex Typographiâ Generosi Salomoni in Platea S. Ignatii.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

Eme, & Rme Dne:

POST varium, inordinatumque redundantium humorum Cacoethen, poſt neglectas recurrentium ſymptomatum viciſſitudines: inter adulantium Domeſticorum illecebras, & ſycophantias iliade pathematum plurimâ interdiù perculſus animum, (proh facinus!) ſub ipſo vitæ decedentis agone, adſtante Medico, impræviſus VI. Kalendas Septembris: Fato demum acerbiſſimo ceſſit EMINENTISSIMUS CALCAGNINI Vir Celeberrimus, Doctor Eximius, Cardinalis Ampliſſimus.

Obitus dies.

II. Quo neceſſitudinis titulo, quove affinitatis vinculo, ſecus etiam â cognata inſimul utriuſq;Purpurâ, EMINENTISSIMUS hic EMINENTIÆ TUÆ copulabatur notum jampridem; Quanta autem ſolertiâ,quantòque ſtudio,poſthabitis gravibus, pro tuo munere,negotiis,Ipſius incolumitati, ac commodis, tunc temporis provideres, cum à IV. Idus Maii LÆTHARGICA opprimebatur AFFECTIONE,conſpectum omnibus, omnibus jugiter comprehenſum: Mihi verò medicam ejuſdem curationi operam præſtanti,dum patholocicis pariter conſultationibus,quas ferè ſemper EMINENTIÆ TUÆ præſentia, comitate, amplitudine complebas, intereſſem, ſatis authenticum, firmiterque probatum.

Morbus, à quo realiter fuit correptus menſ. Maii

III. Quales indè ab inopinato ejus interitû,ſeû meroris,ſeû commiſerationis præmentes ad invicem conſenſeris, ictus non ultrà probandum: Miſſerrimæ quippè Infirmitatis, ab extrinſeco, licèt inflictas, ex Te non minus, quam ex aliis, ità cauſas callebas omnimodè, ut etiamſi Viventem nullatenus noviſſes, morientem utique deploraſſes.

IV. Cauſas idcircò,quas intrinſecus coacervatas,alterâ poſt obitum die, condiendo Cadaveri cum ſtuderet Excellentiſſimus Doctor VICTORIUS Maſini, mihi inſpiciendas, ac examinandas, diligenti cultro patenter aperuit,ante hac Tibi nondum expoſui,ne oppreſſo animo præſſionem, & momentum cumularem.

V. Hoc interim tamen,Ego pro mei muneris officio,ille ad facti veritatem comprobandam, hyſtoricam tantummodo, ac ſimplicem, ſeorſim uterque deſcripſimus ſchedulam Rei phyſico-anatomicæ ſtudioſis, curioſiſque accommodam. Hanc verò obſervationibus, aliqualibus ornatam, quouſque longinquitas temporis dolorem minueret, atque molliret, EMINENTIÆ TUÆ maturavi, cui ut faventes oculos præſtes, animumque jam pacatum advertas exopto, inſtanterque depoſco.

VI. Ut læthargicam morbi à præcedente clandeſtinâ curatione producti, inauſpicato ſucceſſu,EMINENTISSIMUS æger ſuperavit invaſio-

 nem:

Digitized by Google

nem: Infeliciſſimo omine, morbo non admodum profligato, meque malis artibus ſecluſo, ſibi plaudens, ſibique ea, quæ ab aliis legitime peracta erant, impudenter arrogans, præpoſteram alteram inſtituit medicationem furtivus Medicus; Ægrumque adhuc per tres menſes ſummè valetudinarium, ſummeque Cronicum, ruſticaturum quamprimum fore ſibi ſomnians, Mæcenatibus ſuis audacter pollicitabatur; Hoc in tanti Purpurati perniciem Domeſtici Sycophantæ Medici aſſeclæ ultrò devulgabant; Familiares alii ſanius de ruſticatione hàc ambigebant. Ego autem, quoniam ex quò in in Urbe medicinam facio, *Syntatica* incurſos à *dyagnoſtica* ſimul, & *prognoſtica* facultate ſemper omnes aberraſſe, verbiſque ſemper inania captaſſe comperii; De longe conſtanter negabam.

Prognoſis vana.

VII. Interea, quæ à principio morbi per Chirurgicos revulſorias materias ad *Cocicem* decubuerat *necroſis*, ibique contumaciſſimum excitaverat ulcus, ſcorbutico fungoſas excreſcebat in caruncLas; Æger ſedendi; ac deambulandi impotens, ferè ſemper Lectum fovebat ventris ſtipicitate, & conſuvetarum hæmorhoidum ſubpreſſione inferius laborans, ſuperiùs verò flatibus malè olentibus ſcateus; in Cute non mediocriter flaveſcens, hyppochondrioque dextero manum identidem admovens, & præter minimam primarum expiationem Lacte aſinino per dies viginti ſingulo mane potus vinus, ſuccis deinceps, & ferculis euchymis, nutritioni nullatenus pro-futuris inſarcinatus.

Symptomata contraindicantia

Curatio contraindicata.

VIII. Et tunc primæ Magno litterarum Patri ſolemnizabantur veſperæ, cum per Urbem murmur obortus: Obiit *Synchope* correptus, obiit *Apoplexiâ* percuſſus Doctiſſimus Purpuratus, Eminentissimus Calcagnini; Seròque jam facto unus a pedibus; defuncti famulus occurrebat mihi commiſerandum Domini obitum, Malignantium confuſionem, & metum, Familiæ totius meſtitiam renuncians, inſtanterque de mandato rogans, ut quæ olim in Vivente prænoveram, candideque prædixeram, nunc in interempto (ajebat Ille) examinaturus accederem.

Obitus devulgatio.

IX. Lubens acceſſi, & fideliores, qui Moribundo miniſtraverant, præſertim à Cubiculis Domeſticos, quæ ſymptomata extremas vitæ periodos concomitantia clauſiſſent, expoſtulavi: Mihi omnes gemebundi, mihi omnes uno ore — *Prope-diem lamentabatur, irraſcebatur interdiù, eſcas facilè admodum deglutiebat, ſorbitiones cum regurgitu pitiſſabat; Hodiè autem à prandio de dolore gravativo extemplo circà ſiniſtrum latus queſtus, ejuſdem lateris brachium ad fortem porrigebat diſtenſionem, auxiliaque ſuppetias poſcens ſudores interim à Cute per-multos, ac per-frigidos exprimebat; Interdum præ anxietate ſuſpiria è præcordiis, ſtomachicis intermixta ructibus effundens, verba ſingultatim, & ſenſim efficiebat; Pulſus inæqualiter varios, & fugaces non calloſis tangentium digitis manifeſtabat, palloremque Cadavericum facie, ſubnigricantibus labiis præferebat. Quibus in ſignis ambiguus vinerarius Medicus accerſitus; poſt collocutionem cum ipſomet Ægro ſyncope correptum enunciavit, jus, & cordiales*

Legitima ſigna, & ſymptomata à Familiaribus recenſita.

aquas propinanda præſcripſit , quibus appotis , reluctante Purpurato , nobiſque omnibus , invitis , tamquam ab Incolumi receſſit, & Patiens intrà horæ ſpatium iiſdem ſtipatus ſymptomatibus deficit ; Quem apoplecticum periiſſe , nunc ſcimus , ab eodem Medico per vicos,& plateas prædicari -- Hæc mihi illi .

X. Oh novum miraculi genus nondum evangeliſatum ! *Synchoptici* vident , *Synchoptici* audiunt , *Syncoptici* obloquuntur ? Oh novam mortis ſpeciem Praxi Medicæ tùm veteri , tùm recenti totaliter abſonam ! *Apoplectici* præter intellectus,& volnntatis privationem lente deficiunt ? Nonnè Synchope communiter ab artis Medicæ peritis plenariam animalium , & vitalium actionum , ſaltem quò ad ſenſus , abolitionem importat ? Nonnè Apoplexia totalem ſivè ſenſus , ſivè motus , ſivè utriuſque impotentiam , & ſimul , & ſemel voluntatis denegationem ſemper , & omninò deſignat ? Quomodo autem in legitimi morbi fraudem,& ad genuvinum interitus hujus caracterem palliandum , tam gratis, & inconſideratò hæc efferuntur , quæ à quocumque mediocris adhuc notæ Medico de facili refelli poſſunt ? Hæc ego illis cum exclamatione, & admiratione .

Conferatur §. antecedens .

XI. Mihi verò pacato animo viperinam recenſitæ Necroſis indolem revolventi aliam mortis hujus idæam , vel in Infimo , vel in medio ventre ab humorum *redundantià* , *congeſtione* , *corruptione* , *erroſione &c.* productam poſt conſuetas hemorrhoides ſubpræſſas, poſt uſum Lactis , & cibi Euchymi non puro corpore habitum) indicabat Hypp. Aph. 12. Sett. 6. Aph. 10. Sett. 2. Aph. 65. Sett. 5. & paſſim alibi .

Conferatur §. VII.

XII. Adeoque ſequenti die cum Exmo non magis,quam candidiſſimo Inciſore inſimul conveniens ; Ego ut quod præſcius Senex indicaverat , celerius invenirem , ille ne partes fermentationibus , & corruptionibus , magis obnoxiæ , ulterius fermenteſcendo putreſcerent (inſpecto prout de more extrinſecus Cadavere) Quæ ſubflava , quæ pallentia , quæ rubedinem , quæ nigredinem nacta per totum truncum , quæque in artubus extenuvata , & fere conſumpta conſpeximus , præterenntes ab *Entheroſcopio* Ext-inspiciun universale incohandum , operæ pretium unanimiter duximus .

Cur extinſpicium ab infimo ventre inchoatum .

XIII. Communibus itaque per primam Sectionem quatripartitis, integumentis,exciſoque *Perytonæo*, totum Abdominis Cavum, Inteſtina in ſitu, conglomeratas Glandulas, & quæ omnia Regionem implent naturalem patefecimus , ſicque ſingillatim unamquamque partem in examen vocavimus .

XIV. Omentum totum cum ſuo *Epyplod* inſaginatum nimis,capſulas, & vaſcula per ſui ſubſtantiam in ramos diffuſa adipe citrà morem exinanita , Arterias verò . & venas ſanguine ultrà naturalitatem confertas exhibens , ex rubro flavum , quò ad colorem aurantii mali corticem imitans conſpeximus . *Ex hoc prima Oppletionum ad corruptionem tendentium ſigna Medici Anatomici accuratiores ſemper obſervant .*

Obſervatio .

XV. *Æſephagi* fine ad *Plexum cardiacum* ſupra , infra verò *Pyloro* ada-

adamuxim tenaci reduplicato vinculo obfirmatis; Ventriculum forphicis ope à propria ſegregavimus continuatione, & recenti aqua extrinſecus lotum, ſuper linteum, mole conſueto majorem, ſanguineis utriuſque generis vaſis uberius, perſpicaciùſque refertum recluſimus; Ingeſtâque materiâ admodum corrupti pultis ad libras ferè tres in Pelvim eductâ, poſt congruentem aliam abſterſionem revocatum ad examen, diſtentum fibris, capaciſſimum Cavitate, ſubſtantiâ graciliorem, internis Plicis, & corrugationibus relaxatum invenimus.

Obſervatio. *Hæc, quandiù Ægri incongruis ingeſtionibus, praviſque fermentationibus, borborigmis, ac flatibus vexari ad longum tempus conſueverint; Practici, qui cultro anatomico non parcunt, in illorum Cadaveribus ſemper inſpiciant.*

XVI. Intestina Tenuvia nondum per inciſionem, ſed per duplicem hinc indè ligulam a *Craſſioribus* diſtincta, Cultri acie, forphicum ceſione digitorum ſummorum ope à *Lumbaribus Vertebris*, & à *Meſentherio*, quibus reſpective ſuſpendebantur, ſenſim avulſimus, & in continuatione fiſtulæ inter ligulam, & ligulam à ſequentibus diviſa, benelota, & mundo linteo deterſa, aere factitio in cavitate exiſtente non modicè diſtenta, ut accidit in *hypochondriaco flatuoſis, qui acidum eructant, quibuſque lactis uſus abſolutè prohibetur ab Hypocrate*, comperimus, perque illorum ſubſtantiam ſemivaricoſas reptantes venas, non excepto *Jejuno* intuiti ſumus; Quin in aliquibus *Ilei* anfractibus, præcipuè verſus *Colon*, non exiguum fæcis fluxilis præmentibus ab extrinſeco digitis, undequaque fluctuabat; Quæque ab inciſione manabat extrinſecus, cineres colore æmulabatur, ut videre eſt in *Ictericis deficiente bilis per ductum coledocum in duodenum eruptione*.

Obſervatio.

Conferatur §. XXI. in fine.

XVII. Intestina dein Crassa, quæ à naturali, & propriâ contiguitatis ſituatione per *Tenuvium* avulſionem, longè receſſerant, à *Meſentherii* parte inferiore, quà *Meſocolon* audit, cui naturaliter adnectebantur reciſimus. perque *Coccicem* progrediendo in Oſſium innominatorum fundo uſque ad *Anum*, cum *Recto* detraximus, & *Cæco*, prout appendice nullius in caſu noſtro momenti, neglecto, ab extrinſeco expolita ſic conſideravimus.

XVIII. Cavum totum, quod remanebat poſt ligulam in extenſione illâ, quæ Colon nominatur Sacculos, & criſpaturas aere, fæcibus craſſioribus, & non in immodicis ſcybalis completum; *Recto* obſtricto, & omninò à fæcibus experte. Subſtantiam verò totam ingens venarum copia repebat in varices extuberans, quæ in *Recti* ſubſtantiâ nullatenus conſpiciebatur.

XIX. *Ex hoc* Intestinorum Crassorum, *& conſequenter* Artuum Inferiorum Paralysim, *quis non arguat? Quis per ſubpreſſionem hæmorraidalium identidem olim fluentium, Intestina illa varicibus gravata fuiſſe, indeque motum thonicum peryſtalticum ad niſum evacuandis fæcibus exquiſitum in iiſdem defeciſſe, & mox per illorum oppletionem vaſorum omnium ſanguineorum ad contactum recurrentium anguſtias, præpeditiones, & recurſus everſiſſe*

Obſervatio, & ratiocinatio anatomica

ſiſſe

ſiſſe negabit? Quis ſanguinis rementionem verſus Portę Venam ex denegato affluxu per Celiacas ad Rectum, & verſus Aortam à præpedito curſu per Iliacas ad Ischiadicas, & Crurales non affirmet? Quotieſcumque etenim deſcendentes comprimuntur, & anguſtantur Arteriæ inferiores artus hebeſcunt; & ſi in craſſioribus Inteſtinis varices fiunt ſanguinem per Celiacas ſupra præſertim ad Portę Venam deflecti neceſſarium eſt, & in vicinis partibus congeſtiones fieri, & ſtaſes, Silic. in Lyene, Hepate, Pancreate &c. Idcirco.

XX. Lyenem in ſiniſtro hypochondrio formâ, ſuperficie, colore, ſitu apparenter nataraliſſimum extraximus, cujus ſpongioſam ſubſtantiam friabiliſſimam, ac totaliter corruptam ab impreſſione vitiati jam pridem ſanguinis, & ibidem recurrentis offendimus, ſuoque muneri ineptum non de recenti conſiderandum; quoniam quandoquidem Viſcus hoc, vel ob inſitam ignaviam, vel ob ægritudinem proprio non fungitur officio per ramos ſplenicos in *Portæ venam*, & ex hâc per hepaticos in oppoſitum Viſcus lege circulationis vices ſuas transfundit.

XXI. Dextero in hypochondrio extractum Iecur: quà *Colon* tangit tantummodo, naturaliter ferè ſe habebat, quà vero *Ventriculum* fovet, quave a *Dyaphragmate* comprimitur, in gibbâ ſcilicet, & cava parte, majori, quam opportebat ſubſtantia gravabatur, & infractu redundabat, adeòut *Cyſtis* male emergens vix dignoſceretur, & in ea exiguum bilis, ſi modo bilis, an potius Icor dici poſſet, repertum fuerit. *Conferatur Obſerv. §.XVVI. in fine.*

XXII. Medium inter utrumque languebat Pancreas, quod colorem licet non admodum amiſiſſe appareret, exinanitum tamen, ſuccoque ſuo anodyno ſemivacuum nil penitus, prout de more in glandulari ſubſtantiâ luxuriabat.

XXIII. Hinc à primis Lumbarium Vertebris *Meſentherium* cum producto *Meſo-Colon* explantavimus, commodiuſque urinaria educentes inſtrumenta.

XXIV. Renes à membrana; quô ad denominationem adipoſâ, (nil enim adipis in illâ deprehendebatur) obvelatos exciſimus, & dexterum naturaliſſimum undequaque; Siniſtrum verò non ità naturaliter conſtitutum; quin aliquali Idathide conſperſum invenimus, ut in Abdominis fundo Vexicam lotio ſanguinis deſtitutam, contractam, per brevem ſeparavimus.

XXV. Mesentherium, & MesoColon non apparenter infirma, neque à ſtatu naturali notabiliter recedentia, ſed *humores* in vaſis propriÿ pro ſui nutritione; uti in vaſis, & ſacculis per ſui ſubſtantiam perreptantibus, *Succum* nutritioni univerſali aſportandum deſiderantiâ; facillimè coniici poterant, ſi ſeorſim ab inſigni ibidem vaſorum lymphaticorum turgeſcentia inveſtigabantur. *Obſervatio.*

XXVI. Sic totam naturalem Regionem perluſtravimus, incolluviem ſeroſo-ſanguineam identidem incidentes corruptionibus, & Sphacelis ferè ſemper comitem; Ibidemque cauſam mortis mediatam tantum invenimus, immediatam verò ſuperiùs perreximus reperturi,

Inte-

Digitized by Google

XXVII. Integumentis extrinſecis vitalis Regionis, inſimul et mammariis muſculis biſariam remotis uſque ad latera, ſectionem a *Coſtis Menuoſis* hinc, inde per lineam in *Legitimarum*, *Synchondroſim* inclinantes ad tactum *Juguli*, & *Subclaviorum* Sthernum, ſeparatâ interiùs *Dyaphragmatis*, & *Mediaſtini* portione, quibus adherebat, ſecluſimus, ſicque Thoracem utrumque aperuimus coſtis legitimis, prout de more retrorſum diſtractis; Et in ejuſdem Cavo ſiniſtro, quod à *Mediaſtino*, & *Dyaphragmate* conflatur ſanguinis congruinmati, ac ſphacelati inſignem uſque ad libras ſeptem circiter comperimus extravaſationem, quam per pugillos, per urceolum, per ſpongias, non immodico miniſtrantium labore exanthlavimus, & in Pelui capaciſſimo depoſuimus, *exceſſivo acri ſeroſo* intermixtam, *nullum prorſus puris, aut antiquæ ſanici principium, ſed ſimpliciſſimam omninò* Gancrenam *redolentem*.

Mortis cauſa efficies, & immediata.

Obſervatio.

XXVIII. Gancrenam videlicet, quam olim in contràindicato ab Ægri naturâ, & temporis conſtitutione, & à me ſemper exprobato uſu Decoctionis viperinę ad quinque fermè menſes protracto delitèſcentem Eminentissimo ſub ſpe ſalutis decepto, incaſſum toties prædixeram, quam menſe Maii, & deinceps arte, & naturâ indicante ob oculos habuit, ſemperque inconſideratus deſpexit viſiones non videns, ſed ſomnia ſibi ſomnians Medicus Propinator; Quamque diù per vaſa ſanguinea, per Glandulas, perque viſcera reptantem, congeſtam tandem, & ſtagnatam in nobiliſſimo pnœumatico viſcere, effuſamque uſque ad tanti Viri extinctionem medio in centro convenimus.

Decoctio Viper. propinabatur clam à menſe Januar. uſque ad menſ. Maii hamor boydibus ſubpreſſ. tranſpir. præped. in Conſtit. Cachetico ſcorbut.

XXIX. Convenimus pariter omnibus in Lobulis Pulmones corruptos, nihil, aut parum naturalitatis in ſubſtantiâ glandulari, & vexiculari retinentes; Quin Ungulam ſiniſtram uſque ad medietatem, totam ferè conſumptam, Ungulam vero dexteram non corruptam totaliter, & verſus dorſum per contactum ab antiquo aliquantulum cum Pleura coaleſcentem, quod paſſim in Cadaveribus, ſecus etiam à morboſitate hac obſervari ſolet.

XXX. *Pulmone* nondum radicitus exempto Cor cum *Perycardio*, quo per *Mediaſtinum*, & *Dyaphragma* naturaliter obvolvebatur, cumque portionibus vaſorum, quæ à ſeipſo propagantur quæque in ſemet revertuntur eduximus,

XXXI. Mediastinum, Dyaphragma, Perycardium ferè naturalia, vel ſaltem parum à naturali conſtitutione diſtantia.

XXXII. Cor verò à *Perycardio* ſecluſum; quò ad magnitudinem excedebat In comparatione ad ſubjectum Cadaver; Cęteroquin ritè fibratum, Lacertis contextum, columnis obfirmatum, uno verbo naturaliſſime conſtitum; mundum omninò in Sinubus à concretionibus, & grummis ſanguineis, quæ aliàs in inciſis Cadaveribus retinere conſuevit; *Hauriculæ* ambæ nil morboſitatis, neque præſentis, neque præcedentis demonſtrabant, Venæ Cavæ *terminum* in ſui ſubſtantiam recipiebat ritè vacuum, & quò ad meatum capaciſſimum, abundèque ſatis liberum; Arteriæ Magnæ *baſim* emittebat naturа-

Obſervatio.

turaliter ſitam, prægrandi orificio apertam: nullatenus morboſam, præterquamquod in ſui principio *concretà* intrinſecùs in gyrum *ſubſtantià* ferè *oſſeà* exquiſite laminabatur, roburque ibidem teſtabatur.

XXXIII. Omnibuſque his detractis, & ſedulò perſpectis, remanebat examinandum, & ſubtiliter inquirendum, undè enormis illa ſanguinis congeries effluxiſſet, quapropter detractos inveſtigavimus, PULMONES, & in *Lobulo* primo Siniſtræ Ungulæ ab intrà, qua *Cordis* baſim reſpicit, ſcaturiginem à VENA per *Necroſim* totaliter *diſruptà*, & *exesà* admirati fuimus; Vaſa etenim alia conſiſtebant, præter Arteriam eidem Venæ in eodem Lobulo comitem, quæ aliquid tantummodo maculoſi, nihil verò exeſi demonſtrabat; In ſiniſtrà itidem THORACIS parte membranam vidimus coſtas intrinſecùs ſuccingentem, aliquali ejuſdem *Necroſis* macula coloratam: à Pulmone ſcilicet male affecto per contactum fortaſſe, vel à ſanguine ipſo emanato in interitu, & poſtmodum ibidem circumfuſo. *Scaturigo extravaſationis in Cavo Thoracis.*

XXXIV. Quæ cum ità fuerint, ut certè fuerunt; An SYNCHOPTICUS, an APOPLETICUS diem ſuum obierit prælaudatus EMINENTISSIMUS, credat Judæus Appella.

XXXV. Hoc ſatis, ſuperque erat ad *ideam* MORTIS, quam prædixeram in uſu Viperarum, quamque per Aphoriſmos jam ſupra recenſitos, ulterius indicabat Hyppocrates; Sed ad Cadaver exactè condiendum non ſatis; VENTER ſuperior expoliendus remanebat, cujus ſectioni non minori, quam aliis ſedulitate vacavimus.

XXXVI. Crucis itaque ſignum in ſummo *vertice* rectà per *Suturam Sagitalem*, *coronariam* anterius pertranſeundo uſque ad principium oſſis *Methos*; poſterius itidem rectà per eamdem Suturam, uſque ad medietatem *Lambdoydis* in principio *Trapezii* incidens, è traſverſo autem, uſque ad oſſa utriuſque *Syncipitis Petroſa* ſecundum aures, CALVARIÆ tegmina in quatuor rectos diſtinxit angulos *Excellentiſſimus* INCISOR, quibus diligentiſſimè retractis, ſubditum oſſis denudati orbem Serrulà circumeundo miniſtrantes execuvere, & cuneiformi Scalpro per niſum, & contraniſum ſubducentes, ſenſimque per cultri apicem à *Meſſoria Falce* expedientes, in Ovalem formam, quæ propriè CRANIUM, & CALVARIA dicitur ſeparavere; Et ſic apertà ſupremà Animalium organorum ſede, quæ magis conſideranda conſideravimus. *Conferatur §. XI. §. XXVII. & §. XXVIII.*

XXXVII. DURAM conſideravimus MATREM in totà ſui ſubſtantià naturaliſſimam, exactè ſynceram, undequaque ſolidam, proprioque *preſſionis*, & *oſcillationis* aptiſſimam muneri, & expeditam. Hujus de ſinu lege artis diligentiſſime per forphicem diſciſſo, cum *Pià Matre* eductam totam *Cerebri* molem perveſtigavimus.

XXXVIII. PIA MATER *Cerebrum* exquiſitè fovebat, & integrè, ac totaliter inveſtiebat, nulluinque recens in totà ſui propagatione notatù dignum offendimus vitium, præterquam inſenſibilem vaſorum *Rete*, quod dicunt *Mirabile* à *Carotbidibus*, & *Jugularibus* in ejus fundo efformantium, ipſamque totam perreptantium,

Vari-

Varicoſitatem, ſuis cæteroquin in canalibus contentam, neque per omnem ejus ambitum conſpicuam.

Obſervatio.

XXXIX. VARICOSUM *hoc* VITIUM, *meâ quidem ſententiâ temporibus referendum, quibus vernali imminente æquinoctio* EMINENTISSIMUS *Defunctus* VERTIGINE *ſub nomine* RHEUMATIS *vexabatur, & menſe Maii* LÆTHARGO *ſub nomine* APOPLEXIÆ *ex* INANITIONE *corripiebatur ob remeationem ſanguinis per* CELIACAS, ISCHIADICAS, ILIACAS *&c. uſque ad* AORTÆ DESCENDENTIS *incurvationem, ibidemque propulſo perenniter à Corde ſanguini contranitentis itaût majori, quam par eſſet impetu, & quantitate propulſus à Corde ſanguis in Ramos aſcendentis Aortæ, præcipue verſus* CAROTHICOS, JUGULARES *&c. pervececſſe impingeret; Quarum affectionum, prima revocatis hæmorrhoidibus; altera mediis vexicantibus decumbente* NECROSI *ad* COCICEM *per me, ut ſatis notum, ſolutæ fuere; Quarumque Theoryam, nè longior ſim lubens relinquo hoc unum addens, quod inter* CATHARRUM, *&* VERTIGINES *ſumma intercedit diſparitas, &* APOPLEXIAS *ex* INANITIONE *nunquam deſcripſit Hyppocrates, & Practici uſque adhuc nunquam curavere exceptis Viſionariis.*

Conferatur obſerv. ſupra in §.XIX.

XL. CEREBRUM cum CEREBELLO, *Caudicibus*, *Corticali* parte &c. colore, plenitudine, habitudine, ſatis incolume, & in *Meditullio*, ac totâ interiori ſui ſubſtantiâ, in ſinubus etiam, quos à figurâ antiquitas obſcena nomenclavit, naturæ legibus nil omnino alienum, nil penitus infirmum &c.

XLI. SECTIO ANATOMICA, OBSERVATIO PHISICA, EXAMEN MEDICUM ſuper hoc Cadavere ità ſe omnino habuere; Hinc ſuperabunde liquet, quo meriti jure per annos octodecim, quibus EMINENTISISIMI hujus valetudini medicè præfui, hæmorrhoides, & alvinas fæces, quandoquidem ſupprimebantur felici ſemper cum ſucceſſu exoneranda curabam. Ad illa etenim emiſſaria pro ſui levamine Purpurati natura ſemper vergebat, ſicque Ego Præceptoris monitis Aphr. 21. ſect. 1., *quæ ducere opportet, quò maximè natura vergit per loca conferentia, eò ducere*, & primo aphoriſtico Canoni eruditiſſimi Baglivii. *Medicus naturæ miniſter, & interpres. Si naturæ non obtemperat, naturæ non imperat.* Obſequebam.

Curationis antiquæ neceſſitas ab obſervationibus comprobata.

XLII. Excellentiſſimus interim Inciſor, & miniſtrantes diligentiſſime condiebant, concinnabantque Cadaver cum mihi in mentem veniebat Canon ille, quem ex Hipp., & ex Gal. toto animo ſemper excolui; *Morborum omnium una, & eadem poteſt eſſe cauſa, loci autem diverſitatem faciunt.* Ad cujus Canonis veritatem in morbis omnibus complicatis, ac in illorum ſucceſſionibus (loquendo ſemper de cauſa *immediatà*, & *efficiente*, quæ nunquam diſtinguitur ab ipſomet morbo per Praxim quotidiè reperimus. Morborum omnium unam, & eadem ſemper eſſe debere cauſam, loca autem affecta diverſitatem facere debere; Quod ſi ab hoc Canone Medicus in grandiloquæ ſermocinationis gratiam deflectit vaniloquum agit Poetam, de quo Horatius. *Qui variare cupit rem prodigaliter unam-Delphinum Sylvis appingit, fluctibus aprum.* Ægri vero inani verborum copia capti, & allecti delin-

quunt

Digitized by Google